

www.e-rara.ch

**Anima Rationalis, cum suis Facultatibus, Intellectu & Voluntate,
Indultu Inclytae Facultatis Philosophicae**

Ebble, Johann Leonhard

Lipsiae, 1670

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-967>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ANIMA
RATIONALIS,

Cum suis Facultatibus,
INTELLECTU & VOLUNTATE,

Indultu

Inclytæ Facultatis Philosophicæ
in Academia Lipsiensi

DISPUTATIONE PNEVMATICA

publicè exponitur

à

PRÆSIDE

M. JOHANNES LEONHARD EBBLE,

August. SS. Theologiæ Stud.

Et

RESPONDENTE

JOHANNES ADAMO WAGNERO,

Smalcaldensi, Phil. & SS. Theol. Cultore,

Ad diem Junii XXV. Anni

post reparatam Salutem

M DC LXX.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ

Typis JOHANNIS GEORGI.

AVIA
RATONALIS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

INTELLECTUS

D. T. O. M. A.
CAPUT PRIMUM.

De Anima Rationali.

Cum, quod libet, hic nobis liceat, relictâ Animâ secundum se, RATIONALEM, eo, quo poterimus, penicillo adumbrabimus; nam vivis eam tangere coloribus ne Apelles quidem posset. Etenim, etsi cæteroquin Philosophi, talpæ aut sumus, aut fimus, cum in solem incidimus, id est, dum Animâ Rationalem Sacrosanctæ Triados effigiem contemplari cupimus, rei excellentiâ potius capimur, quàm capiamus. Audendum tamen est aliquid: ruborem enim parit, non, *nil post insignes conatus, alienâ causâ effecisse*; sed *nil conari voluisse*: Et; *plus gloriæ meretur, qui generosè pugnando cadit, quàm qui turpi se fugâ subducit*. Maçti hinc nos animo, ANIMAM aggredimur RATIONALEM, tantò præ cæteris creaturis post familiares Creatoris Ministros præstantiorem, quantò his propinquiorem, tantum de Ea edituri, quantum ipsa de se, in corporis ergastulo impedita, edere potuit.

De ejus Origine, id est, num immediatè à DEO creetur, creataq; disposito embrionis corpori infundatur; an verò per traducem propagetur, hic silemus, quæstionem hanc alio tempore, si DEO, Inclytæq; Facultati Philosophicæ, placuerit, in quæstionem vocaturi. Quare sit

S. I.

Quid sit Anima Rationalis.

Nam quærere, AN SIT, supervacaneum videtur, cum oculis nostris spectemus quotidie hominem animatum plures exsequi operationes, quas mortuus nequit edere; Sequitur, corpus causam non esse earum operationum, sed aliud quid inesse corpori, quod eas efficiat. Ad hæc, cum operatio sit actio transiens, id est, non,

A 2

firmè

firmè in se ipsa subsistens, necessarium est, corpori stabile, ac constans actionum inesse principium, quo præsentè vita, omnisq; perficiatur actio; decedente verò vita simul & actiones pereant: Et hoc principium humanum rationalem appellamus animam.

2. Definitio ab Aristotele l. 2. de An. t. 6. tradita, licet Animæ secundum se, genericè tamen Rationali convenit, cum & illa sit *Actus primus corporis naturalis potentiâ vitam habentis*. Clariorem, verò; *Animam rationalem* scilicet, esse principium, quò *vivimus sentimus, & intelligimus*; textu 18. exhibet.

3. Ut tamen hanc definitionē animæ rationalis propriam esse, intelligas; Sælem, sine quo nil dulce, adhibe, atq; verba illa; *quo vivimus, sentimus, & intelligimus*; non disjunctivè, accipe, alioquin & animæ ut sic convenient, ac hunc efficient Sensum: *Natura animæ est in his constituta, ut forma sit, quâ vegetabile est vegetabile: Sensitivum est sensitivum; intellectivum est intellectivum*; ut bene notat Zabar. lib. 2. de An. Comment. in tex. 18. f. m. 266. Sed copulativè.

4. Et ne ordinem forsan culpes, quo postremum locum nobiliori assignavimus, scias velim, nos Ordinem naturæ, quem Aristoteles l. c. apud Zabar. est secutus, secutos esse. Porro, cum ob contrarietatem opinionum obscurum sit, quid per τὸ ἄκμ in definitione animæ ut sic, intelligatur, explicandum duximus. Pro quo nota; duplicem esse actum, primum scilicet & secundum, Philosophis communissimè receptum, quid tamen Aristoteles per eos intellexerit, sensus non omnibus idem.

5. Averroës, quem nonnulli recentiores tuentur, existimavit, utrumq; actum esse formam, sed cum hoc discrimine, ut actus primus sit forma quiescens; operans verò sit actus secundus. Fundamentum hausisse videtur ex ipso Philosopho, asserente in textu 2. formam esse actum, actumq; dividente in duos, ac consequenter, utrumq; statuente formam. Præterea in tex. 5. qui est: *Ex eo enim, quod inest anima, & somnus, & vigilia inest*, Aristoteles actum primū similem & somno, secundum verò Vigiliæ dixit: At in animali dormiente est forma operans: quam putavit actum primum esse, formam non operantem, secundum verò operantem.

6. Aliud propugnatorum Averrois argumentum est. Cum in defin. an. sumatur actus primus: Si is esset forma operans, sequeretur

retur formam non operantem non esse formam; & anima non operans non esset anima: ergò: Hoc argumentum evertitur, dum invertitur hoc modo. Si in definitione actus primus significat formam ut non operantem, sequitur quod anima, quando operatur, non est anima: in definitione rei enim dicitur id, quod est ab ipsa re inseparabile, animæ vero actu operanti non convenit definitio animæ: Ergò anima operans non est anima, quod est absurdum, & absurdius, quod sequeretur, animal operans, non esse animal.

Dicimus ergò cum Zabarella l. 2. de Anim. in tex. 6. Aristot. lib. 2. de Anim. mihi f. 134. Arriaga disp. 1. de An. Sect. 1. n. 2. f. m. 424. Mentem Arist. esse, corpus naturale duas habere perfectiones: Unam, quæ constituitur in esse specifico, & fit hoc aliquid, ut homo; & hæc prima rei perfectio est; quæ est forma informans & actuans materiam; sicq; dicitur *actus primus*. Quia tamen res sic constituta & non operans, non habet totum suum complementum, sed aliquid imperfectionis, hinc addita operatio dicitur *actus secundus*, & secunda perfectio, quæ non potest esse sine prima. Patet hinc formam operantem esse simul *actum primum & secundum*; quatenus nempe aliquid constituit e. g. hominum in esse specifico, *primus*; quatenus verò operatur, *secundus*.

Hæc aptè tribui possunt Animæ rationali, quia actus est seu perfectio cæteris tantò præstantior, quanto speciem sublunaribus omnibus constituit excellentiorem, hominem nempe, quæ prima, est perfectio seu actus; secundus autem operationes tantæ speciei convenientes.

Dicitur autem Anima rationalis actus seu perfectio (Aristoteles enim in definitione græco verbo *ἐντελέχεια* utitur.) Quia, non est accidens. Illud enim, nec substantiæ compositæ, quale est corpus vivens, pars altera esse; nec primum omnium actionum, principium: aut duarum substantiarum veram differentiam constituere potest. Neque est corpus: duo namq; corpora simul esse nequeunt. Actus igitur est seu forma substantialis, perquam corpus animatum verè est tale; hoc est, per quam insitam vim habet omnes vitæ actiones obeundi. Ut bene Sennertus Natur. Sci. l. 4. c. 1 de An. f. m. 461.

§. II.

De Anima rationalis sit forma informans.

10. Quæstio olim ambigua fuit; hodie verò Philoso- his certa; Animam videlicet esse formā informantem hominis. Necesse enim est, omne corpus naturale propriam habere formam, quæ informando materiam, ipsam in specie constituat: homo autem est corpus naturale, & species animalis; ideoq; oportet esse in homine aliquam formam informantem, quæ det homini esse specificum sub genere animalis.
11. Averrois sententia fuit, (quem haud pauci secuti sunt) Animam rationalem esse formam hominis assistentem duntaxat, non informantem; nec secus se habere in corpore, ac in navi Nauta. Legere id est apud eum in Comment. § 1. 3. de An. ubi habet: *Nomen actus de anima rationali & aliis animæ partibus dici ferè æquivocè; quoniam de anima sentiente & vegetante significat formam informantem, de Anima verò rationali, assistentem.*
12. Forma autem assistens (ne nos peregrinè loqui existimes) ea est, quæ rei specificum esse habenti adjungitur, ad nobiliores aliquas, quas propriâ vi exercere nequit, exsequendas operationes; qualis forma est Nauta respectu navis, quæ navi non dat esse specificum, sed ut navigationis, quam navis per se edere non potest, autor sit. Idem de Intelligentiis cælestes moventibus orbes; si verò per primum moventur mobile, aut aliam causam, aliud dicendum erit quod nostri nō est instituti. Quid forma sit informans ex n. 10. liquet.
13. Averrois sententiam uno, sed firmo impugnamus argumento: Si Anima rationalis non est forma informans hominis, homo nullo modo posset appellari rationalis non secus ac navis; licet in eâ nauta ratiocinetur, non tamen ipsa intelligens dici potest. At hominem propriè ac verè dici rationalem, de fide est Philosophica. Ergò aut homo non erit rationalis contra intrinsicum ejus conceptum; aut Anima rationalis erit forma informans. Adde: illud, per quod specie res una ab altera differt, est forma ejus: (Propositio hæc evidens est, ex formæ conceptu) sed per animā rationalem homo differt ab omnibus aliis animalibus, (hæc ex definitione hominis liquet) E. anima est forma hominis informans; hæc sequitur necessariò.

Quia

Quia autem argumenta, quibus Averroës suam probare niti- 14.
tur opinionem, non ita sunt levia, ut statu solvi possint, potiora ex
iis paucis tangeamus, solvemusque.

Primum est: Cognitio universalium abstractione fit à mate- 15.
ria; quod non convenit, nisi facultati à materia abjunctæ: Atqui
anima rationalis cognoscit universalia. E. erit à materia abjuncta,
E. non forma informans.

Secundum: Intellectus patiens est una eademque substantia, 16.
cum intellectu agente; at intellectus agens consensione omnium
est forma abjuncta à materia; E. ejusmodi est etiam intellectus
patiens, qui est anima nostra rationalis.

Tert. trahit ex verbis Aristotelis, qui in tex. 92. l. 1. de An. ait: 17.
Ne fingi quidem posse, quam corporis partem occupet intellectus,
ex quibus deducit animam ration. hominem non informare.

Quart. item ex Aristotele lib. 4. de Partibus animalium c. 10. 18.
hæc habere: *Solus homo erectus animo est, quoniam ejus natura & sub-*
stantia divina est. Officium autem divini est sapere & intelligere. Non,
arguit ille, vocaret Aristoteles hominem divinum, nisi mens hu-
mana esset forma divina & separata à materia, atque adeo forma
solum assistens. Plura, si velis, vide apud Zabar. l. 2. de Anim. c. 5.
f. 186. ff. Previder

Ad 1. Resp. Cognitionem universalium in intellectu aliquam 19.
requirere abstractionem, non secundum esse, sed secundum opera-
tionem. Ea autem ratione intellectus dicitur abstractus à materia,
quatenus est in operando abiunctus à materia. Eandem distinc-
tionem adhibe ad arg. 2. & colliges aliud ex utroque non sequi, quam
intellectum non esse organicum; quod infra asseremus.

Ad 3. Resp. Aristotelem l. c. nil aliud voluisse, quam intelle- 20.
ctum non esse organicum; ex quo non sequitur, eum non dare esse
homini. Absurdè enim fuisset locutus Aristot. (quod absit de tanto
dicere Philosopho) cum forma informans totum corpus occupet,
si quævisisset, quam corporis partem informet. Congrua igitur est
quæstio, quam partem occupet in operando? id est, quo organo uti-
tur. Ideo, inquit Aristoteles, nullam corporis partem tanquam or-
ganum occupare.

Ad 4. Resp. vim nullam habere. Aristoteles enim non solum 21.
homi-

hominis naturam, & substantiam, sed omnem formam vocat divinam & optimam, l. 2. de Ortu Anim. c. 3. eò quòd esse & vivere participant à DEO. Deinde solet quædam appellare divina comparatione rerum ignobiliorum, ut 1. Phys. vocat formam divinam, respectu materiæ, à qua appetitur. Et lib. 2. c. 3. de Ortu An. omnem animæ facultatem divinam vocat respectu Elementorum, & rerum animâ expertium. Vide Zabar. lib. 2. de An. c. 9. f. 213, 214.

§. III.

An Anima Rationalis in omnibus hominibus sit una.

22. Ex priori nascitur quæstione; qui enim eam formam assistentem putant, non secundum hominum numerum multiplicari, sed in tota humana specie unicam esse, quæ omnibus hominibus intellectus causa sit, asserunt, suntque Averroistæ. Nos cum communis sententia, conformiterque supra dictis, dicimus, in singulis particularem esse animam rationalem; cum omnis forma informans multiplicetur ad multiplicationem individuorum; res per se manifesta est, (nec enim memini, me aut legisse, aut audivisse Philosophum, qui hodie contrariam teneat) ideo labore non eget. Vide Sennert. Na. Sci. lib. 8. c. 1. de An. rat. f. m. 650.

23. Caret ea partibus essentialibus, id est, subjecto & formâ; quia, ut sat probatum est, præcisè forma est, non aliquid compositum, ex subjecto & forma alia, sed ens incompletum, alioqui cum corpore non posset constituere unum per se; nam ex ente completo, ut ex parte, non potest constitui totum per se. Ergò non est composita ex partibus essentialibus. Communis est hæc sententia, ideo, quæ ab illa non discedendum; ne dum singulares sapere volumus, desipere videamur.

§. IV.

An Anima Rationalis sit immortalis.

24. E gravissimis una quæstionibus est, totius Philosophiæ, Christianæ quoque & Civilis vitæ unica & firma basis est animæ immortalitas; quæ si negetur, nec Christiana Religio, nec ulla Respublica, subsistat, tota denique societas humana pereat necesse est. Tractarunt hanc quæstionem antiqui Philosophi, ac immortalitati subscriperunt. Plato apud Conimbr. de An. separata disp. 1. a. 1. eam constanter

stanter tutatus est; de mente Aristotelis non satis constat; nonnulli opinantur, eam negativam tenuisse: hoc certum est; in hac re eum fuisse ancipitem, & verborum obscuritate occultasse sententiam.

Unus Epicurus fuit, (absurdè facundus, absurdius fœcundus, 25. nam quotquot persuasit, tot monstra genuit nisi malis audire, sibi genuinas proles) qui voluptatibus corpus, ut porcus luto, tradidit, iisque immersus, (submersus potius) scelestam opinionem, animam rationalem cum corpore perire, quando voluptuosorum Canonem, minimè canonicum: *Ede, bibe, lude; post mortem nulla voluptas*; suis sequacibus, ut testamentum reliquit. Periit ille, ut vixit; Et utinam cum auctore impio, impia opinio.

Priusquàm, quid sentiamus, exponamus, sciendum est, duplex 26. esse immortale: Unum quod nullo modo interire potest, quia est simplicissimum, & ex se suum esse habet, atque à nullo dependet; Et talis est solus DEUS ejusque respectu omnia alia mortalia, & corruptibilia appellari possunt. Alterum, quod actu nunquàm corrumpitur, quia non habet contrarium, & est absolutum à subjecto, ut Angelus: quia tamen non sunt absoluti à causa, non enim sunt à se, sed ab alio, ab illo possunt ex natura non esse. Omne enim dependens, ab eo, à quo dependet, si est principium voluntarium, mutari potest, & à primi principii nutu ab ea essentia deponi, in qua ab illo est constitutum. Non corrumpuntur autem actu quædam, quia creator non vult, qui in ipsis nihil contrarii, à quo corrumpantur, condidit, nec eas materiæ ita immergit, ut extra eam nec subsistere, nec operari possint. Et talis est anima rationalis.

Dicimus ergo: Animam rationalem secundo modo esse immortalem. 27. Ita fides Orthodoxa ex Matth. 25. ubi suavissimus Servator fidelibus suis vitam, impiis pœnam æternam duraturam, promulgat. Plura adducere necesse non est.

Quod pro contraria Sententia ex Ecclesiastæ capite 3. v. 19. 28. *Accidens filiorum hominum, & accidens animalis, idem est eis; sicut moritur istud, sic moritur iste: & amplius homini, quàm jumento non est, obiciunt Epicurei, solvitur facile, si mors seu interitus compositum respiciat non animam. Nam æquè compositum hominis ac equi perit. Quoniam temere nati sumus, & post hæc ita sumus futuri &c.* Resp. impiorum hanc vocem esse ut v. 1. sat demonstrat; Vilior ergo hæc est auctoritas, quàm ut animæ probet mortalitatem, R Ar-

29. Argumentum Sennerti : Omnis forma, qualis sit, suis se patefacit operationibus ; quare cum actiones humanæ ita sint nobiles, ut substantiæ mortali in materia penitus immersæ, competere non possint, animam rationalem à qua prodeunt, immaterialem esse, & à materia separabilem, non obscure colligitur. Quæ porro actiones sint humanæ, nemini non notum. Hoc inquam argumentum cum à posteriori tantum sit, probabiliter persvadet.

30. Idem faciunt argumenta Conimbr. ab Arriaga disp. 1. de An. Sep. Sect. 1. subsect. 2. num. 7. ff. relata primum à paritate Angeli, quem ideo ajunt esse immortalem, quia est substantia per se subsistens : utriusque enim eadem est difficultas. 2. à spiritualitate animæ, quæ probatur ex cognitione objecti spiritualis ; ex qua probatur independentia à materia, & consequenter immortalitas. Denique à recta Dei, justissimi Judicis, gubernatione (Evangelicum hoc magis est, quam Philosophicum) quæ pœnam æternam impiis, piis æternum felicem vitam decrevit : Indecens enim, inquiunt, est DEO, ut eos, qui v. g. pro tuenda religione, honore & gloria ipsius, aut virtute quapiam, tormentis & ignominiosis (quod hodie se jactant Lojolitæ in Indiis, Japonia, Anglia aliis orbis partibus facere, licet tandem orbi universo innotescat, scelera peperisse post cruciatus mortem) morti se obtulerunt, post eam sine ullo præmio relinquat ; è contra autem illorum occisores, tyrannos, Adulteros, homicidas &c. impunes, & de suis gloriantes sceleribus abire. Ergo. dicendum est post hanc vitam esse locum gloriæ & supplicii, adeoque animam extra corpus durare, esseque immortalem.

31. Fatemur, verbo, cum secundo modo anima rationalis immortalis sit, immortalitatem ejus, à priori, seu propriè Philosophicè probari non posse. Quare fides nobis sufficiat, necesse est.

§. V.

An Anima Rationalis sit immista, & ejus operationis organica.

32. Ab Aristotele oritur, qui lib. 3. de An. dixit, quod sit *ἀμυγής*, immista. Nota tamen dupliciter debere animam rationalem esse immistam. Primò ab objectis, ne illorum naturam in sua essentia habeat, sed solam ea recipiendi potestatem : quia enim objecta, cogno-

cognoscere debet, & cognoscit ea recipiendo, necesse est, ut ab illis sit libera, & immista, nil enim recipit id, quod jam habet. Et hæc immistio animæ rationali cum sensibus communis est, ut consideranti patebit. Alio modo, & planè particulari, anima rationalis ab organo est absoluta, nec cum eo permista; (ut sensus externi sunt) id est, cum operatur intelligendo, vel volendo, non utitur corpore, sed absq; eo sua munia exsequitur. Ad actiones enim, quæ in corpore, & per illud fiunt, certa aliquæ temperies, (cum non quodlibet corpus, quocunq; modo temperatum, quamlibet rem, recipiat) requiritur, & diversarum corporis partium diversa sint temperamenta: Anima autem rationalis cum certæ qualitatibus temperiei non sit alligata, nec ullum ejus proprium organum repariatur, eam omnino ratione suarum operationum, à corpore independentem, atq; immistam esse tenemus.

Ex hac decisione sequitur, operationes animæ rationalis non esse organicas; recale dicta num. præc. Et licet existens in corpore utatur phantasmate, eo tamen non ut organo, sed ut objecto utitur. 33.

Quod si contendas operationes animæ ration. pendere à ministerio cerebri, sensuum, & spirituum tanquam organis: hoc solum admittimus sensu: Animam, dum est in corpore, citra præcedentem organorum corporis operationem, & ante propriam operationem non intelligere; Seu in operationibus subordinatis uti organo, & indigere cerebro & spiritibus, dum verò per se & purè intelligit, aut purè vult, minimè; sed animam esse subjectum intellectus & volitionis. 34.

Hinc intelliges, quandò læso cerebro depravatur ratiocinatio, id inde fieri, quòd facultates subordinatæ, quæ organicæ sunt, & pendent à cerebri constitutione, lædantur. Vide Senn. lib. 8. scient. nat. c. 1, de An. rat. f. m. 655. 35.

CAPUT SECUNDUM.

De Facultatibus Animæ Rationalis.

Sat de Anima rat. secundum se hæcenus dictum; more nostro breviter facultates ejus, & quicquid circa easdem scitu dignum & necessarium occurret, exhibebimus.

De facultatibus in Communi.

1. Communissimam Philosophorum olim fuisse, & hodie esse sententiam, Animam scilicet Rationalem, vi vegetandi, ac sentiendi pollere; non ignoramus; sed & illi subscribimus.
2. Præter has tamen facultates, alias quoq; habere, quibus & plantis, & brutis præstet, communiter in confesso est: cum vel operationes nec brutis, nec plantis communes, sed longè excellentiores, eas prodant. Dico hinc
3. Facultatem principem Rationalis animæ esse intellectum; Alteram voluntatem, quibus, quantum mortalibus licet, Deo assimilamur. Tertiam nonnulli addunt memoriam; hanc tamen pleriq; ab intellectu distinctam negant. Intellectus porro ea est facultas, quâ res apprehendimus & cognoscimus: Voluntas verò illa, quâ in ea, quæ sub ratione boni cognovimus, ferimur cum libertate ad oppositum, juxta tritum illud

— — — *Video meliora proboq;*

Deteriora sequor

4. Porro harum discrimen facultatum clarum est; cum aliud sit cognoscere, aliud cognita appetere; sit etiam prius patiendi, seu recipiendo species, ut res ad mentem ferantur: hoc prosequendo ita ut mens trahatur ad objectum. Deniq; diversitas objecti diversitatem potentialium parit, cum res ut entia cognoscamus, appetamus ut bona. Quia tamen celebrior inter Philosophos est de distinctione animæ à facultatibus, & harum inter se, quæstio, quam ut tam paucis absolvatur; erit

§. II.

An facultates ab anima distinguantur.

5. Adverte tò realiter differre dupliciter sumi 1. pro eo, quod est differre subjecto, ut quando cum Arist. dicimus materiam & privationem non esse distinctas res, id est subjecto, ut nec pomum & albedo in pomo distinguuntur realiter; sed ratione 2. sumitur pro differre, secundam essentiam distinctam; sic dicimus materiam & privationem, pomum & albedinem, distingvi realiter, id est habere essentias diversas. Quæstio præsens juxta secundam acceptionem

locum

locum habet: hinc quæritur, cum in eodem sint subiecto, an ab animæ essentia distinguantur.

Thomas in 1. p. sum. q. 77. a. 1. & in 1. Sent. dist. 3. quæ. 4. a. 2. 6.
eiusq; seqvaces, & Ægidius, Cajet. multiq; alii apud Arriagam,
disp. 3. de An. Sect. 1. subsect. 3. n. 88. opinantur, facultates animæ ratio-
tionalis esse accidentia; atq; adeò realiter ab ea distingvi.

Fundamentum primum est. Nulla substantia est immediatè 7.
operativa, ergò eget potentiis realiter distinctis.

Secund. Operatio & principium debet esse in eodem genere, 8.
seu ordine, sed anima rationalis est substantia, E. neqvit esse imme-
diatum principium suarum actionum.

Tertium: Ceteræ substantiæ operantur mediis accidentibus 9.
distinctis, ut patet in quatuor elementis operantibus per quatuor
primas qualitates: item in gravibus & levibus per grav. & levitatem
distinctam se moventibus. E. etiam anima rationalis.

Quart. Si voluntas & intellectus realiter essent idem cum ani- 10.
ma, intellectus amaret, & voluntas intelligeret quod est absurdum:
E. debent ab anima distingvi. Potissima hæc sunt argumenta, quib-
us se tuentur Thomistæ, aliiq; hujus sententiæ Patroni.

Resp. ad 1. falsum esse assumptum, ex ipsiusmet assertis, in- 11.
quibus concedit accidens immediatè, producere substantiam. Item
potentiam loco motivam ubicationem. Cur non substantia id im-
mediatè possit?

Ad 2. nego operationem & principium debere esse in eodem 12.
ordine, imò assero non semper posse esse; quod patet, quia Phan-
tasma producit immediatè partialiter species spirituales; si E. res
inferioris ordinis, ad producendam rem superioris ordinis concur-
rere potest, quid ni è contra possit? cum ratio principii ad produ-
cendum effectum, solum requirat, ut illum contineat, vel formaliter,
vel eminenter.

Ad 3. Resp. Animam immediatè concurrere ad suas opera- 13.
tiones; quare alià non indiget distinctâ potentiâ. Ad exempla
gravium leviumq; dico, gravitatem & levitatem illam, nil aliud esse,
quàm corpus grave, vel leve; atq; adeo non per distinctam levitatem
corpus sursum, aut gravitatem deorsum ferri, sed intrinsecè
ex suamet natura,

14. Ad 4. Logicam, Te volo, recolas, & sensum hunc formalem, esse; quatenus enim eadem anima duos respicit actus, intellectus unum, alterum voluntatis, duo sortitur nomina formaliter inconvertibilia. Ex quo nullum sequitur absurdum. Magis obscurantur hæc argumenta, ubi secutorum majestas pro sententia natura apparuerit.

§. III.

Scoti & nostra Sententia.

15. Subtilis Scotus, lib. 2. Sent. dist. 16. uti semper Thomæ contrarius, ita etiam hîc ab illo dissensit; Secutus eum est Gregorius Arimin. sup. qv. 3. Tota deniq; Scoti Schola potentias animæ, ipsammet animæ esse substantiam, propter varias operationes, variis appellatam nominibus, tenent: Quibus & nos subscribimus.
16. Probatur hæc sententia apud Arr. disp. 3. de An. Sect. 3. Subsect. 4. n. 119. Autoritate Patrum, & primò Magni Aurelii Augustini, qui de Spiritu & Anima c. 4. & 13. *Anima, inquit, quæ secundum sui operis officium, variis nominibus nuncupatur: dicitur namq; vitalis, dum vegetat, spiritus, dum contemplatur, sensus, dum sentit; animus, dum sapit: ipsa tamen non differunt in substantia, sicut in nominibus, quia anima illa una anima est.* Augustino subscribunt Isidorus, & Bernhardus: Ille lib. 11. Etymolog. his verbis: *Anima, dum vivificat corpus, anima est; dum vult, voluntas; dum intelligit, mens, dum recolligit, memoria, dum aliquid sentit, sensus.* Hic verò serm. 11. in Cant. *In Anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem, & hæc tria eandem esse Animam.* Veneramur autoritatem; quia tamen Concionatori magis, quàm Philosopho hæc testimonia conveniunt; nos, qui Philosophos hîc agimus, alia proferemus argumenta.
17. Primum Scoti est ejusq; Scholæ: De quo dicitur definitio, de eodem dicitur & nomen definiti, atq; de forma prædicatur definitio potentia activæ, ergo & nomen. Major clara est, minor probatis author: Aristotelis 9. Metaphys. potentiam activam definiuntur: Potentia æti va est principium transmutandi aliud, quatenus est aliud; atq; forma (anima rationalis) est hujusmodi principium, ergo
18. Secundum. Sicut se habet potentia passiva ad patiens: ita se habet potentia activa ad agens. Contrariorum enim eadem est ratio

tio) subintellige ad materiam ibi & hic formam; at potentia passiva materiæ est ipsa materia, ergò potentia activa erit ipsa forma. Porro si potentia materiæ esset aliquid diversum à materia, esset accidens, & prius reciperetur in materia, quàm forma substant, quod est absurdum.

Tertium: Sicut se habent formæ merè naturales, (id est inanimatæ) puta ignis &c. ad suas operationes, ita etiam anima ad suas: at illæ sunt immediatum principium suarum actionum absq; ulla potentia media, ergò & anima rationalis. Similitudo manifesta est non enim animam rationalem, formam omnium nobilissimam, minoris perfectionis esse quis asseret opinor, quàm forma sit inanimata quæ potest exire in actum secundum absq; ulla potentia media, quod tam de substantiali, quàm accidentali verum est: illa etenim natura est, id est principium motus immediatum, quod particula *primo* significat; de accidentali æquè, calor enim ignis immediatè calefacit alia sine potentia media: Idem est de gravitate & levitate, ut supra jam dictum est. ergò anima immediatè intelligit, sine distincto intellectu, immediatè vult &c. ergò potentia non sunt distinctæ realiter ab anima.

Quartum. Agens nunquàm agit in extremum, quin prius agat in medium, si adsit E. anima prius aget in intellectum quàm intelligat idem est de voluntate, quod est absurdum.

Quintum. Si potentiæ sunt diversæ ab essentia animæ; E. ab ea dependent ut à causa: at nulla ratio causæ assignari potest: Non enim pendent ut à materia; neq; ut à fine, nec ut à forma ut patet. E. ab efficiente E. anima immediatè aliquid producit, quod negant adversarii. Si vero illas potentias producit mediantibus aliis potentiis, procedetur in infinitum; quod indignum est Philosopho. Unicum ego adhuc addo, priusquam ultimam inferam conclusionem, quod primum contrariæ sententiæ evertit fundamentum, & nostram confirmat.

Illæ potentiæ distinctæ, vel sunt substantiæ, vel accidentia & vel operantur immediatè vel mediatè. Non primum, quia eò ipso substantia immediatè à substantia produceretur, quod est contra Adversarios. Si verò accidentia, idem sequeretur quod negant Advers. substantiam operativam esse immediatè. Si vero & istæ potentiæ

tiæ aliis producantur mediantibus dabitur in infinitum processus. Si vero illæ potentia distinctæ operantur immediatè, absurdū est, concedere accidentibus, quod negatur substantiæ; Si mediantibus aliis, de his eadem redibit quæstio & sic in non finem. Ex quibus omnibus stat quidem Magn. Ampliff. & Excell. D. D. Scherzeri assertum, Animam per se ipsam operari, & nos concludimus evidenter, (non facultates animæ non esse) sed ab anima indistinctas.

23. Claudat agmen, sine necessitate tamen, Arriagæ argumentum quod pro hac adducit Sententia. disp. 3. de An. sect. 3. subsect. 4. num. 120. quod hoc est. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, Er. potentia animæ non sunt ab illa distingvendæ. Natura, enim, quod per pauca potest, per plura non agit, atqui per se & immediatè anima sufficiens est ad intelligendum & volendum, E. non eget potentiis distinctis. Laudamus Naturam quandò, dum aliis Noverca, nobis Patrona est. Plura, qui velit, videat apud Zabar. de An. l. 2. c. 2. f. m. 371. f.

§. IV.

Quomodo distinguantur facultates animæ inter se.

24. Proponitur in præsentī, id est intellectus à voluntate quæ quæstio, si dicta §. præc. bene percipiuntur.
25. Dicimus ergo formaliter inter se distingvi. Quæ distinctio non simpliciter à diversitate actuum, cum apprehensio & iudicium, assensus & dissensus ab eadem proveniunt potentia, cum tamen inter se genere distinguantur, ~~difficilis non est.~~
26. Sed ab objecto formali, & modo tendendi diverso, quando scilicet objectum intellectus est intelligibile; voluntatis vero amabile; ille necessariò, hæc liberè in suum fertur. Res clara fit, per Attributa divina v. g. Iustitiam & misericordiam, quæ formaliter ex objecto formali, & modo tendendi differunt. Iustitia enim, punibile, in quod rigore; misericordia miserabile, in quod clementiā tendit, pro objecto habet.
27. Quæstiones autem; An potentia eadem diversos specie actus; & an diversæ potentia diversos solo numero actus producere possint? cum nec necessaria, nec utiles videantur, omittimus; quoniam in potius progredimur ad

CAPUT TERTIUM.

De facultatibus Animæ Rationalis in specie.

De facultatibus in communi, ut puto, dictum satis, hinc sine
ambagibus de iis in specie & quidem in

§. I.

De intellectu, ejusq; Actibus.

Adverte ante alia duplicem communissimè assignari intelle- 1.
ctum; Agentem nempe, qvi species producit intelligibiles; Et
Patibilem, qvi species illas recipit, & intelligit. Nec tamen duo
distincti intellectus, sed munia ejus tantum diversa sunt.

Objectum intellectus est intelligibile: Et ens, & non ens. 2.
Disputamus enim de omni: quod non possemus, si non appre-
henderemus, &c.

Dices fortè: Non ens non habet speciem, E. non potest esse 3.
objectum intellectus: quicquid enim cognoscitur debet esse in in-
tellectu per species.

Resp. ens habere speciem non quidem formalem, sed inter- 4.
pretativam, seu ut benè Magn. ac Excell. Dn. D. Scherzerus oc-
casionalem, dum nempe arguit intellectus, hic ens non reperio, E.
non est, ens. In brev. Eust. qv. 228. f. 474.

Multa congerit Arriaga disp. 6. de An. Sect. 2. ff. pro solven- 5.
da quæstione; in quonam consistat formalis ratio intellectionis, seu
quomodo anima rationalis intelligat. Equidem tantam non vi-
deo difficultatem, doctrinâ benè perceptâ de duplici munere intel-
lectus, datâ n. i. Qvare

Disco breviter intellectionem consistere in actione, & passio- 6.
ne, in quibus vita imbibitur; quando videlicet intellectus Agens
producit species intelligibiles, & easdem patiens recipit. Species
autem intell. nil aliud sunt, quam Phantasmata illuminata, quæ in-
tellectus agens à materiæ conditione evacuat. An verò species in-
tell. accidentia sint purè spiritualia, ut vult Sennertus Phil. Natura-
lis lib. 8. c. 1. de An. Rat. an materialia: quia non satis probatum,
invenio, nec tempus patitur, ulteriori reservo speculationi.

7. Dicimus quoque Intellectum cognoscere singularia cum v. g. hunc equum cognoscat sensibilem. Et quamvis intellectus sit universalium, singularem sensus: cumulatim tamen tantum i. e. & universalium & singularem; sensus privativè id est singularem tantum; intelligi debet.

§. II.

An idem actus intellectus possit reflectere supra seipsum.

8. Tàm ingeniosa, quàm curiosa quæstio est, recentioribus scholasticis tantum (quantum mihi quidem notum) nota. Multi negant: Quia cognitio est relatio ad objectum, relatio autem debet esse distincta à termino, E. & cognitio ab objecto. Item objectum debet esse prius cognitione, E. & ab illa distinctum. Objecti enim existentia vel possibilitas est independens à cognitione, cognitio autem pendet ab objecto neq; enim objectum est quia cognoscitur, sed è contra. Porro objectum est causa cognitionis, vel per se, vel per speciem sed nihil potest esse causa sui. E.
9. Ad 1. nego antec. universaliter: cognitioni enim ut sic solum est essentialiter exprimere suum objectum; quando verò se ipsam expresserit, id fiet sine respectu, quando verò aliud à se, cum respectu. Confirmatur cognitione divina quæ se ipsam cognoscit, & tamen respectum ad se non habet. Ad secundum: Instantiam proferro in cognitione DEI, quæ non est posterior se ipsa, & tamen est objectum sui. Ad probationem dico in aliquibus objectis & cognitionibus id verum esse, non tamen in omnibus; quod apparet ex cognitione DEI de se ipso & creaturis possibilibus; non enim prior est possibilitas creaturæ, cognitione divinâ, aut è contrario, cum ab invicem essentialiter pendeant, ob mutuum respectum transcendentalem. Ad tertium nego antec. quia quando effectus cognoscitur in causa, cognitio illius non causatur ab effectu cognito, sed à causa in qua cognoscitur.
10. Quare Arriagæ consentio, dicoq; cognitionem posse esse reflexam supra se ipsam. In speculationibus Theologicis res extradubium est: potest enim Angelus divinitus se & omnes suos actus comprehendere E. necessario & illum quo omnes comprehendit, alias non omnes comprehenderet. Sed

Sed major est difficultas de actibus humanis. Probatur, 11.
tamen. Quando de facto dico: de conceptu omnipotentiae est
posse producere omnes creaturas nullam exceptam; iste actus habet se
pro objecto, nam ipse est una ex omnibus. Idem contingit, quando
dico omnis actus intellectus est cognitio. E. etiam ille ipse quo hoc
dico.

§. III.

An repugnet inter se, assensus & dissensus circa
idem objectum.

Id est: an intellectus nequeat judicare simul Petrum currere, & 12.
Petrum non currere. Fuisse, inquit Arriaga disp. 6. de An. sect. 5. n.
86. non tamen eos baptizat. qui hoc fieri posse senserunt, eò quod pos-
sint hi duo actus simul poni in lapide supernaturaliter. E. etiam in
intellectu naturaliter.

Contraria Sententia quia verior, ideò communior, probatur 13.
assensu adversariorum, qui admittunt intellectum non posse dissen-
tiri objecto, quod ei evidenter verum proponitur, cum sit poten-
tia necessaria, nec voluntatem efficaciter velle, quod absolute im-
possibile cognoscit, evidenter sequitur; dum evidenter cognoscit
Petrum currere seu id judicet; propositioni contradictoriae assen-
sum praebere nequit. Idem est de odio & amore circa idem obje-
ctum, & respectu ejusdem; circa idem objectum respectu diver-
sorum amor & odium stare possunt, idem est de intellectu quoad
assensum & dissensum.

Ad argum. Advers. dico nos loqui de subiecto capaci, lapis 14.
autem subiectum in capax est, ut consideranti patebit. Ergo nihil
probat.

Sed dices: intellectus potest simul judicare, utramque partem 15.
contradictionis esse probabilem, E. poterit etiam utrique assentiri.
Resp. limit. anteced. potest judicare esse probabile, id est, utramque
simul existere. Nego. potest judicare esse probabilem, hoc est,
quamlibet habere pro se aliquas rationes, non tamen cogentes:
conc. at in hoc nulla est repugnantia, cum nec assentiatur falso, nec
dissentiat à vero.

Tres mentis operationes, quia omnibus notae, nec speciales 16.
continent difficultates, omittimus. Quid vero sit intellectum aliquid
quiddi-

quidditative intuitivè, & abstractivè cognoscere atque comprehendere, cum circa loquendi modum versetur, isq; diversis diversus sit, cuilibet suum relinquimus, nec certum quid ex scholis statuimus, donec magis innotescamus. Alia minus necessaria de intellectu disputabilia prætermittimus, ne Benevolo Lectori nauseam creemus.

CAPUT QUARTUM. De Voluntate, & ejus Actibus.

Ut & de hac paucis agamus, est voluntas vis altera animæ, quæ ab intellectu cognita sequimur, vel averfamur. Vocatur quoq; appetitus rationalis; ut enim cognitionem sensus sequitur appetitus sensitivus; ita mentis cognitionem sequitur proprius appetitus; qui ad differentiam alterius (differre verò inter se, ex continuis constat pugnis) dicitur voluntas.

§. I.

De Voluntatis Objecto.

1. Antea, quàm de objecto agamus, notes velim, duos in voluntate esse actus, unum Amoris seu prosecutionis alterum fugæ seu odii; fertur in bonum primus, secundus in malum.
2. Est ergo voluntatis objectum, bonum ab intellectu cognitum, & in contrario malum. Prius amat, appetit, & prosequitur; posterius odit, fugit, & averfatur. Est verò bonum triplex, honestum, utile; ac delectabile. Primum est quod in se bonum est; sine respectu ad aliud, ut DEus, Virtus. Secundum, quod bonum causat, ut divitiæ: Delectabile quod se ipso est bonum alteri affertq; voluptatem, ut pulchritudo &c. & hæc duo posteriora ad concupiscentiam; prius ad benevolentiam pertinet; quæ tamen se non necessariò includunt. Hoc obiter tantum ad sequentium pleniorē notitiā.
3. Quæstio hinc oritur, an voluntas possit amare malum formaliter tale & odisse bonum formaliter tale.
4. Ad hanc quæstionem decidendam suppono triplex malum triplici bono superius enumerato opponi; vel in se, vel alteri formaliter, vel causaliter. Malum in se est carentia boni formaliter, ut carentia lucis &c. Malum alteri; quod alteri disconvenit, ut summus calor est malus alteri, quia nocet. Bono utili opponitur malum

lum impediens executionem finis. Item adverte: id quod est malum in se posse fortiri rationem boni, respectu alterius ut mors quæ est privatio vitæ est malum in se potest tamen esse bona respectu alterius, in quantum per illam quis à malis eripitur, vel alia de causa, ut infra: Et quod alicui malum est in uno genere, posse eidem bonum esse in alio, ut in unctione cauterii aut in medicina constat. His positis.

Dicimus Primò. Malum sub ratione mali, alteri, non solum potest amari sed & defacto amatur. Si nullam aliam, hanc assertionem falsam vellem, lubensque intrare, ut vulgo ajunt, saccum expugnari ejus si veritas posset. Sed nimium pro ea stant, scelestorum prolium in Parentes, & perversorum Conjugum in se invicem impia vota, quibus dira omnia & ipsam imprecantur mortem; quia sibi bonum putant, si è medio, quos volunt, tollantur, ut vel libertate majori, vel hæreditate frui liceat; alia prætereo.

Dicimus secundò. Potest voluntas amare malum sibi, quâ tale, dummodo bonum alteri amato in eo inveniatur. Et hoc verum est, sed priori rarius, spectatque ad amorem amicitiae; ut cum quis solo hujus intuitu pro candido amico dolores, aut pœnas, quin & mortem ipsam optat.

Dicimus tertio. Malum sub ratione mali, & sibi, & alteri, non potest amari. Experientia nostram probat conclusionem, quando nil amare possumus, nisi aliquam, quantamcumque tandem bonitatem in objecto apprehendamus; sive ficta ea sit, sive vera. Ratio à priori est: quod omnis inclinatio semper sit ad bonum, à malo verò ut tali, fuga & aversio.

Dicimus quarto. Indifferens, ut tale, id est, ita ab intellectu propositum, ut licet in se bonum, vel malum sit, non tamen repræsentetur, nec amari, quia nulla in eo proponitur bonitas voluntatem inclinans, nec odio haberi potest; quia nulla proponitur malitia quæ deterreat.

Quod si forte objicias; Ex desperatione mortem sibi conscientem amare sibi malum sub ratione mali. Resp. talem apprehendere mortem bonam, vel quia liberatur per eam à magnis miseriis; vel quia illam alteri, quem odit, molestam fore credit; quod quandoque in insano amore locum habet.

Vel: Ad exercendam suam libertatem posse aliquem amare malum,

malum, ut malum, & odisse bonum, ut bonum. Resp. 1. simpliciter id non posse præstari à voluntate, cum eam libertatem solum circa proprium objectum exercere queat; Malum autem nec amoris, nec bonum odii objectum proprium est. 2. Si id posset voluntas; iam tunc apprehenderet aliquam rationem boni, saltem extrinsecam, scilicet esse terminum exercendæ libertatis, ob quam bonitatem, movetur ad exercendos hos actus.

11. De affectu simplici seu complacentia in bono, aliisq; voluntatis actibus vide passim authores.

§. II.

An voluntas ex duobus æqualibus, unum præ alio, vel minus bonum amare possit.

12. Questio est admodum difficilis quod ex ea pendeat nostra libertas. Status ejus est: Quando representantur duo bona, vel æqualia, vel inæqualia; ita tamen ut æqualia cum æquali claritate proponantur, possit voluntas unum præ alio, vel ex duobus inæqualibus minus eligere.

13. Vasquez. 1. 2. disp. 43. c. 20. apud Arriag. disp. 7. de An. sect. 3. subsect. 1. putat voluntatem non posse amare minus bonum, nisi majori intensione proponatur; imò nec inter duo æqualia unum eligere præ alio. Prius probat, quia minus bonum, ut tale formaliter est malum; sicut è contrario minus malum, ut tale, ut privans nempe majori malo, est bonum: sed malum ut malum non potest amari, E. nec minus bonum. Vim nullam habet hoc argumentum, quia æquivocationem involuit. Nos enim non loquimur de bono minori, quâ tale est, sed de bono minori, quia bonum est; & hac ratione potest amari,

14. Quod verò nec inter æqualia unum præ alio possit amare, inde probat: Quia, quando hoc potius eligit, quàm illud, magis ab hoc allicitur, quàm ab illo; sed non potest ab uno magis allici quàm ab altero, supposito æquali bono: E. &c. Nec hoc argumentum, difficultatem habet: Quia quod voluntas defacto attrahatur ad hoc bonum, ex libertate sua pendet, quæ quodcumq; aliud bonum potest non amare, inde fit, ut possit se non permittere attrahi à majori bono, sic verò à minori, vel æquali. Pone hominem ante se habere duo

duo poma, a & b vel inter se omnino æqualia, vel inæqualia c;
Nullam video rationem cur non possit ex æqualibus pomum b v.g.
præ a eligere, aut etiam inæquale c ideo solum *quod velit*.

Ex quo satis constat, nostra sententia citra ulteriorum proba- 15.
tionem. Si tamen lubet vide Arr. l. c. subsect. 2.

Voluntatem à cognitione pendere, ita, ut naturaliter nil velle 16.
possimus nisi prius cognoscamus, Canon Philosophicus (licet non
probè grammaticus) *Nil volitum, quin præcognitum*, sufficienter probat.

Quoniam autem libertas voluntatis plenè explicari non pot- 17.
est, nisi cum iis, quæ eam impedire videntur; illa verò pagellarum
harum angustia afferri nequeunt, de ea ulterius disserere prohi-
bemus.

Cæterum voluntatem imperium habere in appetitum sensiti- 18.
vum, & locomotivam; argumentis non indiget; cum notum omni-
bus sit, nos ad voluntatis iussa moveri & quiescere. Imperium verò
illud, per peccatum est labefactatum, turbataque harmonia inter u-
trumque: appetitum, adeo ut sæpè sapius sensitivus, voluntatis ac re-
ctæ rationis excutiat imperium, verumque; sit illud:

Fertur equis auriga: nec audit currus habenas.

In potentiam vegetativam nullum planè habet imperium, sed 19.
naturæ cursui illam relinquere debet.

CAPUT QUINTUM.

De Anima Separata.

Postquam succinctè de Anima Rationali, ut corpori inclusa
quædam disseruimus, restant paucula de ea *Separata* à corpore di-
cenda: non quod pro indubitatè veris ea vendamus; cum nec dum
unus inventus sit, qui vel experienciâ, vel ratione veritatem demon-
straverit (papicolarum apparitionibus, somniis potius aut summum
illusionibus, fidem non habemus) sed quod convenienter ad hucusque
dicta, divinativè tamen, uti ab aliis dicuntur, à nobis dici possint.

§. Unicus.

Tria potissimum occurrunt exponenda. 1. An animæ extra 1.
corpus conservari queat, sitque immortalis; quia autem de hoc jam
actum c. i. §. 4. per totum ideo duo duntaxat supersunt sequentia 2.
nempe, an status ille sit animæ connaturalis & 3. quid in eo agere
possit. Pro

2. Pro priori horum nota: Connaturale uno modo sumi pro naturali, seu non miraculoso; in quo sensu ex dictis de Immortalitate animæ l. c. certum est, statum separatum, animæ esse connaturalem. Alio modo, pro non violento, quo modo aliquid naturale potest non esse connaturale, uti calor respectu aquæ, vel motus rei gravis sursum, qui naturaliter in illis producuntur contra tamen exigentiam. His prænotatis.
3. Dicimus separationem animæ, physicè loquendo non esse eisdem naturalem, sed violentum, seu ut benè loquitur Magn. & Excell. D. D. Scherzerus in Brev. Eustad. q. 238. præternaturalem. Ratio est: quia physicè considerata, est incompleta & imperfecta substantialiter. E. appetit perfectionem & completionem; id quod res omnes appetitu innato faciunt. Aliud dicendum si ratio physica prætermittatur.
4. Restant ea quæ in statu separationis efficere potest. In sententia nostra difficultas non est, animam potentias materiales improprie & in adæquate tamen, & spirituales, quia eas non distinguimus realiter ab essentia animæ, secum habere. Dixi potentias mat. *improprie seu inadæquate*: quia non concedimus eam habere potentias materiales proprie & adæquate v. g. visivam, auditivam &c. nam organis necessariis ad eos actus destituitur, licet principium effectivum illorum habeat, seu ipsa sit. Rem illustrabit paritas hominis cæci; considera paulisper, & patebit: intellectum verò & voluntatem quæ non dependent ab organis in suis operationibus, secum habet. Hinc.
5. Dicendum Animam separatam non posse audire, videre, olfacere, &c. ob organorum defectum. Intelligere vero, ac velle, cum requisita ad ea habeat, posse; Asportat etenim & retinet species, nam vitæ antea actæ recordatur. Novas etiam acquirit quia nova intelligit. Quomodo autem hoc fiat (cum perfectiùs fieri nullum sit dubium) tum dicam, cum scivero.
6. Posse animam separatam mutare suum ubi (movere proprie corporum est) à paucis, in dubium vocatur; nos posse admittimus. Quia non est alligata huic potius ubi imaginario, quam alteri. vide brev. Eust. qv. 242. Non esse autem in loco, sed in π s definitivè ratio animæ persuadet. Vovemus: DEUS ter Op. M. in se ipso nos, post abiectionem corporum moles noscere melius, & æternum feliciter contemplari, concedat.